

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis ſeptimâ Aprilis 1707.

M. ALEXIO LITTRE,

DOCTORE MEDICO,

REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ SOCIO,

PRÆSIDE.

Eſt-ne aliquod Lunæ in corpora humana imperium ?

I.

UT ſuam commendarent ſcientiam, nihil non moliti ſunt veteres Aſtrologi. Syderum vim & poteſtatem prodiderunt ad omnes fermè effectus naturales pertinere. Illis pluviam, ventos, cæteraſque aſcripsère aëris mutationes. Quidquid in viſceribus condit tellus, quidquid è ſinu profert, aſtrorum efficientiæ deberi ſtatuerunt. Si eos audias nullum animal terram calcat, nulla avis dividit aëra, undas ſecat nullus piſcis, cujus ortus, vita, & mors ab aſtris non dependeant. Quinetiam aſſerere non dubitarunt hominum fortunam, imò quaſcumque res, ſive benè, ſive malè gererent, corporum cœleſtium efficaciâ dirigi. Aſtrologorum mendaciis fidem adjunxit nimiùm credula antiquitas. Doctos, indoctos, magnates, plebeïos error ex æquo occupavit. In eum quoque incidère Medici: unde ſyderibus corpora humana plurimùm affici definierunt. Variæ variis aſtris virtutes con-

cessæ: alia calida, alia frigida, quædam humida, sicca quædam dicta. Quilibet Planeta in peculiarem corporis partem ex eorum mente influebat. Cor Soli, Lunæ cerebrum, hepar Marti, lien Saturno, Veneri renes, uterus Jovi, pulmo Mercurio putabantur subjici. Posterioribus temporibus astrorum scientia ab errore vindicata est. Eorum cursus, positionesque noscere satis habuerunt Astronomi, rejectis priorum sæculorum commentis. Hinc de syderum potentiâ, non opinione, sed ratione & experientiâ disseri cœptum à Physicis & Medicis recentioribus. Cùm igitur ex solis accessu & recessu diversas tempestatum vicissitudines oriri, constans omnium ætatum observatio probaverit, inconcussum perstitit ejus imperium. Lunæ verò, cæterorumque astrorum summa potestas, nullo satis valido stabilita fundamento, ita à plerisque labefactata est, ut brevi ruitura esse videatur.

II.

LABASCENTI & penè everso Lunæ imperio novus defensor ex Angliâ prodiit nuperrimè. Is Lunæ potentiam non, ut veteres, ficto in res humidas dominio tribuit; non in calore reponit, ut aliqui è Neotericis; sed eam contineri putat virtute, quàm à Lunâ exerceri in atmosphæram comminiscitur. Eandem censet in aëre ac in mari contingere *intumescentiam*, quoties Luna ad loci cujusvis meridianum aut suprà aut infrà horizontem pervenit. Quemadmodùm ex mente Newtoni, cui ipse subscribit, ob Lunæ attractionem mare pro sphæricâ figurâ induit sphæroïdem, cujus longissima diameter producta per Lunam transiret, sic ad insignem altitudinem attolli nos ambientem aëra ob eandem attractionem contendit, similemque figuram assumere. Ex istâ aëris *intumescentiâ*, quæ bis semper vicenis quinisque horis accidere debet, ipsius gravitatem & vim elasticam concludit imminui; indè fluidorum corpore humano contentorum texturam & motum turbari arbitratur. Experientiâ judicat sententiam hanc confirmari. Nonnulla epilepsiæ, vertiginis, affectuum hystericorum &c. exempla profert, quorum periodi Lunæ motui ad amussim respondebant. Veterum insistens vestigiis, Lunæ efficientiâ in mulieribus consuetam sanguinis vacuationem moveri affirmat, menstruo quidem intervallo; sed aliis alio tempore pro temperamenti aut ætatis varietate. Tandem juxtà istius authoris sententiam, qui à morbo acuto crisibus liberantur, acceptam salutem referre debent Lunæ crisium efficaci causæ. His præcipuè argumentis cùm ab Anglo authore, tùm ab aliis, asseritur Lunæ in corpora humana imperium.

III.

NULLIUS momenti videbuntur allata argumenta, si ad rectæ rationis trutinam appendantur. Jamdudùm enim obsolevit Lunæ in corpora humida potestas. Quæ ab ejus calore deducitur virtus, aut nulla est aut admodùm imbecilla. Radii siquidem à Lunâ remissi, & à speculo concavo, cujus magnitudinis diameter est quinquaginta unciarum, reflexi colliguntur in foco semuncialis circiter diametri: focus hic decies millies minor est, quàm amplitudo speculi; undè calor in foco debet esse decies millies intensior eo, qui in aëre dicitur à Lunâ produci; nullus tamen calor in foco percipitur; hinc liquidò constat aut nullum aut sanè perexiguum à Lunæ illustratione excitari calorem. Non magìs astruitur Lunæ efficacitas commentitiâ aëris *intumescen-*

tiâ. Quæ exindè sequeretur de ipsius gravitate decessio, refragante experientiâ corruit. Etenim juxtà æstuum maris rationem in aëris pondere insignis contingere deberet mutatio, idcòque consentaneum huic mutationi discrimen in mercurii barometro contenti altitudine observari; quod tamen non animadvertitur, si barometricis ephemeridibus sit fides. Hâc experientiâ redactus ad angustias author prædictus, ad ventos confugit, nihil tamen adjumenti ab illis relaturus. Esto enim, ut ipse contendit, ventus sit causa variè librati in fistulâ Toricellianâ hydrargyri. A diversis igitur ventis pendet aucta & imminuta aëris gravitas; undè, si quam ipsa inducat in corpora humana mutationem, hæc à ventis oriri potiùs existimanda est, quàm à Lunæ attractione. Quotidianam istam aëris sublationem omninò evertit mercurius diù in barometro æqualiter suspensus: per plures enim dies in eâdem altitudine non rarò constat, præsertim solstitiorum tempore: si ex actione Lunæ in atmosphæram sextâ quâque circiter horâ augeri & minui debeat aëris gravitas ex Angli authoris hypothesi; quo pacto æquilibrium servare potest mercurius? An ventis tantùm deprimitur aër, quantùm Lunæ virtute attollitur? Hoc nemo admiserit, nisi qui opinionibus ducitur nullâ ratione & experientiâ suffultis.

IV.

MORBORUM certâ periodo redeuntium cum Lunæ motu quasi consensus, illos in ipsam refundendos esse nullatenùs arguit. Si morbi quorum paroxysmi cum Lunæ phasibus congruunt, calculo subducantur, eorumdem specie morborum, qui à Lunæ motu dissident, vix erunt pars centesima millesima. Igitur fortuitò evenire putandum est, quod ex innumerâ morborum periodicorum multitudine, qui statis, at diversis recurrunt intervallis, nonnulli sequantur Lunæ phases. Sive certo spatio redeant morbi intermittentes, sive inordinatè invadant ægros, tunc accedunt cùm humor ægritudinis parens in aliquâ corporis parte collectus, ad debitam copiam sanguini admiscetur, vel cùm in mole sanguineâ fermentum delitescens ad eum pervenit maturitatis gradum, qui morbo efficiendo est idoneus. Menstruam mulierum purgationem à Lunæ efficaciâ repetere vetat ipsa vacuationis ratio, quæ nunquam ferè cum Lunæ motu consentit. Illius enim periodi aliis sunt triginta dierum, aliis viginti novem, aliis viginti octo, plurimis breviori aut longiori intervallo continentur; mensis autem Lunaris est viginti novem dierum cum horis duodecim; undè quæ Lunâ silente modò purgantur, post aliquot menses plenilunii tempore effundent catamenia. Profluvium hoc parit humor in sanguine mensis spatio genitus, qui in glandulis uteri secretus init fermentationem: illis indè supra modum turgescentibus comprimuntur arteriæ capillares; hæ novo semper urgente à tergo sanguine paulatim distentæ diffinduntur. Ad solvendos morbos Luna non magis conducit. Utrùm crisibus destinati sint quidam dies à primâ morbi invasione numerandi, non inepta est Celsi* dubitatio. Qui dies à veteribus habiti sunt critici, minùs experientiâ constituti videntur, quàm deprompti ex percelebri tunc temporis doctrinâ Pythagoræ, qui magnam numeris imparibus tribuebat facultatem, summam vero efficaciam septenario. Quamvis assignatos dies reverâ decretorios esse constaret, non ad Lunæ motum in Zodiaco, neque ad ejus in atmosphæram actionem, si quæ esset, referri possent: utrique repugnat definitus dierum numerus. Suis quique tempo-

* *Lib. 3. cap. 4.*

ribus despumant, qui fermentescunt liquores; sic determinatis spatiis pro morbi, ætatis, sexûs, & temperamenti ratione diversis sanguis ipse defæcatur, ubi germanam ejus constitutionem pervertunt succi vitiosi.

V.

MEDICUM non decet astrorum tam longè dissitorum virtutem arcessere ad explicandos effectus, quorum causæ in ipso corpore vigent. Id quidem antiquis condonandum est, quos multa latebant, quæ in lucem extraxit usus, & posterioris ævi diligentia patefecit. Mirum autem est, quòd invictis rationum momentis eversa syderum potentia etiamnum assertores nanciscatur. Hanc-ne mentem ipsis inspiravit antiquitatis veneratio, an receptæ à plerisque sententiæ aversatio ingessit? Si depositis præjudiciis expendas adeò decantatam stellarum planetarumque, sole excepto, virtutem, nusquàm hanc, nisi in hominum opinione, extitisse comperies. Fictitia igitur Lunæ in corpora humida potestas nemini jam est formidanda. Si quis ab ejus lumine pauxillus calor excitetur, non is est, qui corpora valeat immutare. Plurimùm quidem hæc afficiuntur auctâ vel imminutâ aëris gravitate; verùm ista mutatio aliundè, quàm ab efficaciâ Lunæ deducenda est. Aëris compressio ob Lunæ præsentiam concidit eâdem experientiâ, quæ ejus sublationem evertit. Periodicorum morborum recursus, etiamsi cùm Lunæ motu aliquandò consentiant, ab humoris depravati indole & copiâ prodeunt. Sanguinei fluxûs è mulierum utero singulis circiter mensibus erumpentis, causa est à Lunæ virtute diversa. Crises sunt naturæ morbum superantis effectus. Ideò à Lunâ nihil metuendum, nihil sperandum; in medicinâ faciendâ incassùm illius habebitur ratio. Remediorum exhibendorum opportunitatem demonstrant tempus morbi, ægri vires, tempestas anni, non Lunæ phasis aut ætas.

Ergò nullum est Lunæ in corpora humana imperium.

Proponebat Parisiis ALEXANDER LE FRANÇOIS, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1707.

Typis Viduæ Francisci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographi.